



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

23 Monitorialium litterarum cursus in pluribus casibus potest impediri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

& servatis servandis ad executionem realem, vel personalem, prout juris fuerit, procedi possit, ex supra allegatis: quia aliàs omnis causa, per hanc viam posset deferri ad forum ecclesiasticum, ut post Io. Andr. in c. novit. de jud. animadvertit. Bart. in const. ad reprimendum, in vers. denunciationem, nu. 9. & Neviz. Sylvest. nupt. in ver. monitoria, lib. 3, num. 51.

21 Concedi ꝑ autem possunt litteræ monitoriales pro deperditis, seu subtractis bonis, & juribus occultis tantum, non autem pro vulgaribus: quia contra personam certam, quæ rem deperditam invenit, aut aliàs jura detinet, in foro judiciali via ordinaria est procedendum, ut per Neviz. eadem Syl. nupt. in ver. monitoria, lib. 3, num. 48. Nec concedi possunt monitoriæ super capitibus criminosis, aut infamatoris, ut per eundem Neviz. ibi num. 50. & ita servat curia Romana, quicquid contrarium asserant aliqui, quinimò apponitur clausula, quòd si ex pro palationibus aliquid probari contingeret favore fisci, quòd pro palationes nullam fidem faciant, & Pius V. in ordinatione super modo expediendi litteras in forma: significavit, ordinavit, ut concedantur ad eorum dumtaxat instantiam, quorum civiliter interest, ut in litteris Romæ in Cancellaria Apostolica die 27. Junij 1570. publicatis de quibus in Bull. Rom. cap. 183.

22 Quæritur, ꝑ an pro palationum vigore possit quis nominatim excommunicari; Et si pro palantibus repetitis in forma judiciaria plenè probetur, aliquem rem pro qua monitoriales fuerunt concessæ, detinere, videtur in contumaciam non resipiscens, ut exeat de peccato, & quæ indebitè retinet, restituat, quòd possit no-

minatim excommunicari, ex traditis per eundem Neviz. in eodem ver. monitoria, numer. 61. Sed hodie ex dispositione sacri concilii Tridentini non debet quis nominatim excommunicari, nisi prævia diligentia de exequendo realiter, vel personaliter, servata forma ejusdem conc. eodem cap. 3. §. in causis verò.

Quæ procedunt in causis ad forum ecclesiasticum tantum pertinentibus, ut ibidem in causis civilibus ad forum ecclesiasticum, &c. Ideò in causis spectantibus ad forum seculare, non potest quisquam vigore litterarum monitorialium nominatim excommunicari, sed pars actrix iudicem secularem cum pro palationibus adire debet, qui prout juris fuerit, ad executionem realem, vel personalem, procedat, & non illis ommissis, procedere ad excommunicationis sententiam, cujus nulla major pœna reperitur in spiritualibus, ut per Abb. in cap. cum dilectus, numer. 6. de his, quæ vi. met. re. casu. cum alijs supra, in princ. allegatis: Ad excommunicationem enim non nisi in subsidium procedi potest, ut in eodem cap. 3. §. quòd si executio, sess. 25.

23 Impeditur ꝑ etiam cursus dictarum monitorialium pluribus modis.

Primò, quando quis comparet coram Episcopo, vel ejus Vicario, allegans se partem formalem: tunc enim contra partem comparentem procedi non debet: quia si actor habet personam certam, via ordinaria procedere tenetur, & cessat remedium extraordinarium censurarum ex supra allegatis. Ratio enim est, quia actor non debet sumere informationes de domo rei, l. qui accusare, C. de eden, & gloss. in cap. G. perpetuus, in verb. instrumentorum, ver. sed si instru-

instrumenta, de fid. instrumen. tunc enim excepta parte, & ejus consilio ordinatur monitorium currere debere, quoad reliquas personas incertas.

24 Secundò, † licet monitoriales concedi possint, tam antelitem cœptam, quam post, extrad. per Naviz *sub eodem verb. monitoria, colum. 7. & Abb. consil. 15 numer. 2.* potest tamen opponi exceptio rei judicata: quia post sententiam latam, quæ transitum fecit in rem judicatam, non sunt concedendæ, ut *l. si quis eorum, §. planè, & §. ancillam, ff. de except. rei judicatae, l. post. rem ff. de rei judic. & Bart. in consil. ad reprimendum, in ver. denunciationem, numer. 15.*

25 Tertio † obstat exceptio juramenti litis decisivi, quo oblato, & præstito, habet vim rei judicatae, & litis finitæ, *capit. & si Christus, de jurejurand. l. 2. l. admonendi; & l. i. jurandum, ff. eodem tit. & Bart. in ead. consil. ad reprim. in ver. denunciationem n. 16.* qua stante, litteræ monitoriales publicari non debent.

26 Quarto † potest opponi exceptio transactionis juratæ, ex qua oritur exceptio, prout ex jurejurando, & ex sententia gloss. *in ead. l. 2. ff. de jurejurand.* quam sequitur Bart. *ibi nu. 2. & in casibus, in quibus transigere licet, transactio impedit processum, Bart. post gloss. in l. accusationis, num. 3. C. quod met. cau.*

27 Quintò † legitima præscriptione quilibet est tutus in foro conscientie, ne teneatur denunciare, etiam, si ea legitimè completa, mala fides superveniat, ut post gloss. & alios, Abb. *in cap. vigilantium, num. 8. & ibi Felyn. post plures alios, quos citat, num. 11. de prescrip.* Nam forum conscientie à foro contentioso, non differt, ubi canon

disponit super certo, secus, ubi lex, vel canon procedit, præsumendo in materia, quæ verè scire non potest; quia, si veritas aliter se habet, illa sequenda est in foro conscientie, ut ibi per Felyn. *ver. & intellige.*

28 Sextò, † potest opponi exceptio tua interest, si quis enim obtineret litteras monitoriales cum capitulis concernentibus bona, in quibus de interesse capitulantis non ageretur, non essent publicandæ, sicut nec in beneficialibus, si alter colligantium litteras monitoriales obtineret, & non haberet canonicum titulum, quia tunc pars non tenetur propalare, sed posset comparere, & cursum monitorialium impedire, Navar. *in consil. mihi 7. numer. 1. de sentent. excomm. par. 2.* Et quòd solùm concedantur ad eorum instantiam, quorum interest, statuit Pius Papa V. *in litteris supra num. 21. citatis.*

29 Monitoriales † hæc excommunicatis concedi non possunt, Abb. *in cap. novit, nam. 32. in ver. additio. de jud. & Neviz. in syl. nupt. ubi supra nu. 47. vers. limita primò.* Eademque ratione Judæis non sunt concedendæ, quia cum in spiritualibus non ligentur lege canonica, & de eorum anima non cæretur, *cap. gaudemus, de divort. & Felyn. in cap. ludæi, il. 2. de lud.* frustra auxilium legis canonicè implorat, qui in eam committit, *l. auxilium, & ibi Bart. nu. 1. ff. de minor.*

30 Excommunicationes † graviores continentur in Bulla quorundam die Cœnæ Domini solemniter legi, & publicari solita, quarum unam, & viginti enumerat Navar. *in Manual. cap. 27. à num. 55. usque ad numer. 74. viginti autem Card. Tote. in inst. sacer. lib. 1. c. 19. usque ad cap. 20. &*

Gre 3.